

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0638

0636

0642

0632

0647

0627

0687

0587

0737

0537

0137

Ende

Anfang

65

viventes in mundo decernitis, ne attigeritis neque contrectaveritis omnia, quae sunt in interitum ipso usu? Magis ergo maturitas, ingens et infatigabilis devotio et gaudiosa mortis exspectatio debent lucere in calvo, ut dicatur sibi, iam non a malis pueris sed a beatis angelis: ascende calve, ascende, inquam, calve ad montem meritorum tuis bonis et jugibus actis comportatum, coagulatum et impinguatum. Ascende demum, calve, ad montem praemiorum et aeternorum gaudiorum, et ibi erit tibi pro calvitie crispans crinis, sicut peccatoribus erit pro crispanti crine calvium. Esiae 3.

De transitu peregrinorum ad fontem Helizaei prophetae.

A loco erosionis S. calvi consequenter ascendimus per rivum accidentis aquae et in quandam paludem profundam incidimus, quam cum multa difficultate pertransivimus. Aliqui enim cum asellis in luto infixi manebant et cum deturpatione omnium vestimentorum suorum vix exibant, et qui laterales vias et singulares quaerebant, profundius incidebant, et qui juxta arbusta pertransire contendebant, dupli incommodo laborabant, quia profunde incidebant et in acutissimas spinas veniebant; omnia enim virgulta sponte nata in istis terris sunt spinosa acutissimis spinis, quarum tenuis punctio vulnus dolorosum infligit, ac si spinae essent in aculeis venenatae. In transitu illius paludis veni ego in spinas cum bestia mea, de quibus exire non poteram cum cappa integra, sed multis foraminibus laceratus cum labore et anxietate pertransivi; quia monachus in cappa non bene stat in spina et lappa.

Transgresso palude ascendimus ad latus rivi et ad quoddam molendinum venimus, ubi aqua rotas impellit, nec erat alia via ulterius ascendendi, nisi per ipsum molendinum. Ad quod cum venissemus, stabat molitor cum suis famulis cum fustibus et cuspidibus ante fores contra nos, et transitum prohibebant. Post multam autem verborum concertationem ductores nostri vi domum irruperunt et pertranseundi nobis viam fecerunt. Ex alia autem parte molindinae (**B**) adhuc altius ascendimus et venimus ad locum umbrosum, arboribus et virgultis plenum, per quorum medium magno